

non odit? quis urbis conservatorem Codrum, quis Erechthei filias non maxime laudat? cui Tubuli nomen odio non est? quis Aristidem non mortuum diligit? An obliviscimur, quanto-
 pere in audiendo, in legendoque moveamur, quum pie, quum amice, quum magno animo aliquid factum cognoscimus? Quid loquar de nobis, qui ad laudem et ad decus nati, suscepti, instituti sumus? Qui clamores vulgi, atque imperitorum excitantur in theatris, quum illa dicuntur?

Ego sum Orestes.

Contraque ab altero.

Immo enimvero ego sum, inquam, Orestes.

Quum autem etiam exitus ab utroque datur conturbato errantique regi: *ambo sic unà precamur enecarier*; quoties hoc agitur, quandove, nisi admirationibus maximis? Nemo est igitur, quid non hanc affectionem animi probet atque laudet; qua non modo utilitas nulla quaeritur, sed contra utilitatem etiam conservatur fides. Talibus exemplis non fictae solum fabulae, verum etiam historiae refertae sunt, et quidem maxime nostrae. Nos enim ad sacra Idaea accipiendâ optimum virum delegimus; nos tutores misimus regibus; nostri imperatores pro salute patriae sua capita voverunt; nostri consules regem inimicissimum, moenibus jam appropinquantem, monuerunt, a veneno ut caveret; nostra in re publica, et, quae per vim oblatam offensionem virginis voluntaria morte lueret, inventa est; et qui interficeret filiam, ne offenderetur. Quae quidem omnia et innumerabilia praeterea, quis est, qui non intelligat, et eos, qui fecerint, dignitatis splendore ductos, immemores fuisse utilitatum suarum, nosque, quum ea laudemus, nulla alia re, nisi honestate duci?

Leg. I. 14. 18. 19. At vero scelerum in homines atque impietatum nulla expiatio est. Itaque poenas luunt non tam judiciis (quae quondam nusquam erant, hodie multifariam nulla sunt, ut sint tamen, persaepe falsa sunt),